



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Soluitur argumentum depromptum ex doctrina Scholasticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

vnius corpusculi angustias se rede gisset. Vide epistolam tertiam August. Certè Hieronymus tota sua responsione hanc suspicionem tollere conatur, ne credatur Deus redactus ad angustias vnius corpusculi.

» QUINTO proferunt AVGVSTINVM serm. 14. de verbis
 » Apostoli: *Seder, inquit, in cælo, qui ambulat in terra: in cælo
 » erat, quia vbiq; Christus, idemq; Christus & Filius Dei &
 » Filius hominis.* RESPONDEO, hæc omnia de persona dici-
 tur, non de natura humana. Vnde paulò post loquens de
 Christo in terris degente ante passionem, ait: *Propter vnitatem
 » personæ in terra Filius Dei, propter eandem vnitatem in
 » cælo Filius hominis.* Vides non dictum esse in cælo humani-
 tatem, in terra Deitatem, sed in cælo Filium hominis, id est,
 personam; in terra Filium Dei, id est, eandem personam, quia
 vbiq; est illa persona.

» SEXTO proferunt GELASIVM in libro de duabus naturis:
 » *Quod, inquit, dictu audiũq; fugiendum est, vel homo Deus
 » esse iam desinat, si sola illic humanitas, non etiam Deitas per-
 » seuerat: vel Deus homo consequenter esse desinat, si sola
 » diuinitas, non etiam humanitas vnitæ permaneat.* RESPON-
 DEO, illud; *Illic*, non significare locum, sed Chritum seu
 mysterium incarnationis. Vult enim dicere, si in Chritò sit
 sola diuinitas, aut sola humanitas, iam Chritus nõ erit De-
 us, & homo. Et patet ex verbis sequentibus: *Videbitur, inquit,
 » quod abhorret animus dicere, sed cogit necessitas non tacere,
 » diuinitas in vtroq; mutabilis, si vel in carnem est ipsa conuer-
 » sa, vel sic est in Deitatem humanitatis transfusa condita, ut
 » proprietates eius esse deserat.*

CAPVT XIX.

*Soluitur argumentum depromptum ex doctrina
 Scholasticorum.*

DECIMUM argumentum ex Scholasticis. Con-
 tendit BRENTIVS hanc suam vbiq; itatem esse
 doctrinam non modò antiquorum Patrum, sed
 etiam præcipuorum Scholasticorum. Ac PRIMO
 profert MAGISTRVM in libro 3. dist. 22. vbi dicit: *Christus
 » totus est, vbiq; est, sed non totum.* Quid autem sit, totum
 vbiq;

vbique, sed non totum, exponi dicit Brentius à Thoma 3. p. q. 52. art. 3. vbi Thomas docet Christum totum esse vbique, sed non totaliter, quia nullo loco circumscibitur.

Addit BONAVENTURAM in 3. d. 22. q. 2. qui sic ait: *Cùm dicitur iste homo est vbique, hoc pronomen, iste, demonstrare potest personam Christi, vel singulare hominis. si personam Christi, sic absq. dubio ista vera est, iste homo est vbique. si vero singulare hominis, adhuc vera est, non autem per propriam naturam, sed per communicationem idiomatum; quia quod conuenit Filio Dei per naturam, conuenit Filio hominis per gratiam.*

Postremò allegat compèdium Theologicæ veritatis lib. 1. cap. 17. vbi sic habetur: *Corpus Christi licet non sit vbique, cum sit creatura, nec equari possit in huiusmodi creatori, in pluribus tamen locis est totum sub diuersis hostiis, & hoc propter vnionem carnis ad Verbum.* At ista ratio, inquit BRENTIUS, concludit illud est planè vbique, nusquã enim non esse personalis vnio carnis ad Verbum. Quare aut compendium pugnat secum, aut cùm dicit Christi corpus non esse vbique, intelligit non esse vbique per se, sed gratia Dei.

RESPONDEO, Scholasticos omnes ex professo contrarium docuisse, vt etiam hinc impudentia Brentij non mediocriter illustretur. Ac PRIMVM Magister cùm ait: *Totus Christus est vbique, sed non totum.* Seipsum ibidem explicat, sic dicens: *Totum ad naturam refertur, totum ad hypostasim, &c.* Itaque totus Christus est vbique, quia persona diuina tota est vbique; at non totum Christi est vbique, quia altera naturarum eius non est vbique.

Porro S. THOMAS loco citato cùm dicit, Christum totum esse vbique, sed non totaliter, quia non circumscibitur loco, nõ exponit Magistrum, nec loquitur de corpore Christi, sed de persona diuina. Vnde in corpore articuli dicit, in triduo mortis animã Christi fuisse in inferno, corpus in sepulcro, Deitatem vbique. Et contra Gentiles lib. 4. cap. 49. *Quia Verbum, inquit, non accipit subsistentiam à natura humana, sed ei potius tribuit, nihil prohibet Verbum esse vbique, licet natura humana à Verbo assumpta non sit vbique.* Et in 3. d. 22. q. 1. art. 2. Respondeo, inquit, dicendo quòd natura humana non est vbique.

Iam

Iam verò BONAVENTURA in 3. d. 22. q. 2. tam clarè loquitur, ut non possit clarius. nam proposita quæstione, An Christus ubiq; sit homo, respondet his verbis: *Quæstio ista potest esse de re, & de sermone: si de re, de plano dici potest, quod humanitas Christi non fuit, nec est, & ubicunq; est eius divinitas, cum Deitas sit immensa, & incircumscrip̄ta, nullum sibi locū determinans: humanitas verò cum sit creata, & finita, determinat sibi locum, quātum est ex parte ipsius, quamvis sacramentaliter sit in pluribus locis.* Hæc ille.

Cū igitur postea addit, Filium hominis esse ubique per communicationem idiomatum, quia Filio hominis convenit per gratiam id quod Filio Dei convenit per naturam, nō loquitur de re, sed de modo loquendi. nam quia per gratiam unionis (de ista enim gratia loquitur, non de creata aliqua gratia) factum est, ut vna sit persona Deus & homo, idcirco dicitur, Filius hominis est ubique, quia nimirū illa persona, quæ est Filius hominis, est ubique.

Denique compendium illud Theologia, cū dicit Christi corpus esse in pluribus locis sacramentaliter propter unionem ad verbum, non vult dicere, rationem formalem, & immediatam cur sit corpus Christi in pluribus locis, electionem ad verbum, tunc enim pugnaret secum nimis appetitè, & deberet concedere, etiam extra Sacramentum, Christi corpus esse in pluribus locis, immò etiā fuisse ab ipsa conceptione. sed indicare voluit, propter unionem ad verbum, posse hominem Christum statuere suum corpus in pluribus locis, quia enim ille homo est Deus, idcirco potest hoc facere. Ne enim, quia tantū homines sumus, possumus quidē à Deo, si ipse voluerit, poni in pluribus locis, sed non possumus ipsos ponere in pluribus locis.

Et deinde quidquid sit de isto compendio, certum est Scholasticos Doctores omnes, Albertum, Durandum, Scotum, Gabrielem, & ceteros in 3. d. 22. disertis verbis, & iuncto consensu hoc ipsum docere. Omnes enim dicunt, dicit ipsa non esse quæstionem, cū certum sit carnem Christi non esse ubique. de modo autem loquendi statuunt tres regulas.

PRIMA est, quando quæritur, an Christus homo sit ubique, si homo sit subiectum propositionis, absolute concedendum est esse ubique, quia tunc vox, *Homo*, supponit pro

mal

supposito

supposito. Itaque ista est vera simpliciter, Christus homo est ubique.

SECUNDA est, si *Homo* sit prædicatum, & adverbium, & *ubiq;*, teneat se ex parte subiecti, similiter concedenda est propositio. Itaque cum dico, Christus ubique est homo, verum dico, si illud, & *ubiq;*, tenet se ex parte subiecti, est enim sensus, Christum, qui est ubique, esse hominem.

TERTIA est, si *Homo* sit prædicatum, & *ubiq;*, teneat se ex parte prædicati, tunc falsa est propositio. Nam cum dico, Christus ubique est homo, si ubique, efficit coniunctionem subiecti cum prædicato, significat Christum in omni loco habere secum præsentem humanitatem, quod est falsum.

CAPVT XX.

Soluitur postrema obiectio ex naturali ratione deducta.

VLTIMUM argumentum Brentij. Christus homo sine dubio est summe felix, summe pulcher, summe beatus, ergo est ubiq; præsens. Nam loco circumscriptum esse, & de loco in locum ambulare, non est diuinę excellentiæ, sed corporeæ imbecillitatis; non cœlestis maiestatis, sed terrestris paruitatis; nõ spirituales pulchritudinis, sed carnalis deformitatis.

RESPONDEO, beatum esse eum (vt definit S. Augustinus lib. 13. de Trinit. c. 5.) *Qui habet quidquid vult, & nihil mali vult.* Pulchritudinem autem esse membrorum proportionem, cum suavitate coloris, vt idem AVGVSTINVS habet lib. 22. de ciuitat. Dei, cap. 19. Ex quibus sequitur, Deo, qui est natura immensus, necesse esse ad felicitatem & pulchritudinem vt ubiq; sit. si enim non ita esset, non haberet quidquid vellent, aut aliquid mali vellent. At verò homini, qui naturæ est finita & corporeæ, & habet instrumenta motus, malum & turpe esset si moueri non posset, & si omnia repletet, ita vt periret forma & figura conspicua membrorum. Argumentum igitur Brentij tam est admirabile, vt planè contrarium efficiat eius, quod efficere debebat.

Sed hoc loco præterite non possum illa verba BRENTII:

y

(Loco